Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26076
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Et in alio loco. Ad uesperam demorabitur fletus. et in matutino letitia.
et cetera his similia. Consurgemus autem de mane. quando utinam relinquamur
in puericia. et dicere possimus. Peccata iuuentutis mee et ignorantie ne meminieris. ortoque nobis sole iustitie fugantur tenebre. et statim inficiemur omnis cogitationes que ad peccata nos pouocant. et de ciuitate mentis nostre illos disperdimus peccatores de qibus saluator loquitur.
De corde enim exeunt cogitationes male. homicidia. adulteria.
fornicationes. furta. falsa testimonia. blasphemia. et reliqua. Infelicissimi autem sunt. qui de mane usque ad uesperam ebrietate. gula.
et diuersis uoluptatibus occupati. non intellegunt in se opa dni. nec considerant cur creati sunt. Preterea captiuus ducti est populus meus. quia non habuit scientiam. Et nobiles eius interierunt fame. et multitudo eius siti exarsit. Hec iuxta litteram accidisse populo iudeoque sub uespasiano et tito romanis principibus tam greca quam latina narrat hystoria. Id quidem et spiritaliter hodieque patiuntur. sustinentes non famem panis. neque sitim aque. sed famem audiendi sermonis dei. qua nec respexerunt opus dni. nec considerauerunt opera manuum eius. neque habuerunt eius scientiam.
quem semper locutus est per prophetas. Unde et in psalmis dicitur. Conuertentur ad uesperam et famem patientur ut canes. et circuibunt ciuitatem. Id autem omnis sermo doctrine panis appellatur et aqua. illud docet euangelium in solo pane uiuit homo. sed in omni uerbo quod egreditur ex ore dei.
Et quicumque biberit de aqua quam ego dedero ei non sitiet in eternum. Et in
psalmo dicitur. super aquas refectionis educauit me. Unde et dnus non uult esurientes in heremo dimittere. ne lassentur et corruant. et inficiantur fame. Et de iusto uiro dicitur. Iuuenis fui et senui.